


acto in c semicirculo, apparebit Sol Cancrum ingredi. At F austrina æquinoctialis circuli declinatio ad Solem conuersa, faciet illum Boreū uideri æstiuum, tropicum percurrentem pro ratione anguli BCF inclinationis. Rursus auertente se F ad tertium circuli quadrantem, sectio communis GI in lineam ED cadet de nouo, unde Sol in Libra spectatus, uidebitur Autumni æquinoctium confecisse. Ac deinceps eodem processu HF paulatim ad Solem se cōuertens, redire faciet ea quæ in principio unde digredi



coepimus? Aliter. Sit itidem in subiecto plano AEC dimetiens, & sectio communis circuli erecti ad ipsum planum. In quo circa A & C , hoc est sub Cancro & Capricorno designetur per uices circulus terræ per polos, qui sit $DGFI$, & axis terræ sit DF : Boreus polus D , Austrinus F , & GI dimetiens circuli æquinoctialis. Quando igitur F ad Solem se conuertit, qui sit circa B , atq; æquinoctialis circuli inclinatio borea secundum angulum, qui sub I AE , tunc motus circa axem describet parallelum æquinoctiali Austrinum secundum dimetientem KL , & distantiam LI tropicum Capricorni in Sole apparentem. Siue ut rectius dicam: Motus ille circa axem ad uisum AB superficiem insumit conicam, in centro terræ habentem fastigium, basim uero circulum æquinoctiali parallelum, in opposito quoq; signo c omnia pari modo eueniunt, sed conuersa. Patet igitur quomodo occurrentes inuicem bini motus, centri inquam, & inclinationis, cogunt axem terræ in eodem libramento manere, ac positione consimili, & apparere omnia, quasi sint solares motus. Dicebamus autem centri & declinationis annuas reuolutiones propemodum esse æquales, quoniam si ad amulsim id esset, oporteret æquinoctialia, solsticialiaq; puncta, ac totam signiferi obliquitatem sub stellarum fixarum sphaera, haud quaquam permutari: sed cum modica sit differen-